

fitu, se ipsa inter omnia, cum paulo ante dicitur

C A P U T V I I I.

21

in Josepho, Genes. 39. & in Susanna. Alexander M. Darii regis Persarum capti uxorem aspicere noluit, ne castitatis limites excederet, ut refert Gellius lib. 6. cap. 8. cum quo conferantur Q. Curtius lib. 3. rerum ab Alex. gestarum, & Justinus lib. 11. sub finem. Celebratur castitas Scipionis Africani à Livio, Valerio Max. Eutropio & aliis, quòd virginem captivam stupendæ formositatis inviolatam suis restituerit. Sed Plutarchus in Apophtheg. & Polyb. lib. 9. hanc castitatem suspectam faciunt, dum scribunt, Scipionem dixisse, libenter se suscipere hanc puellam, si homo privatus, non Imperator esset: quasi verò hominem privatum non deceret castitas. Porro cum vera castitate semper est conjuncta pudicitia, quæ est fuga & vitatio verborum & gestuum, at dorum Venereum vel repræsentantium vel provocantium. Quare ut castitas moderatur Veneris usum & appetitum, ita pudicitia moderatur linguam, manum, oculos & aures, à turpibus dictis & factis avertit. Johannes Casus in speculo moralium lib. 3. cap. 10. Pudicitia, inquit, est circa osculum & amplexum, Castitas circa ipsam Venerem. Hic quaeritur an virginitas dicenda sit castitas? Johan. Casus dicto loco affirmat, ubi virginitatem vocat castitatem circa intacti pudoris institutum. Timplerus in Ethica gen. lib. 2. cap. 4. quaest. 8. negat, eò quòd virginitas nihil aliud sit quàm abstinentia foeminae nunquam conjugatae à contactu virili, ideoque bonum esse naturale, quòd etiam in iis foeminis esse possit, quæ non sunt castæ. Posterior sententia est præferenda.

2 Castitati in excessu opponitur Salacitas, per quam homo Veneris est nimis appetens.

SCHOLI. Ab Aristot. dicitur λαγνεία à nomine λάγνης sive λάγνός, quod significat libidinosum, lascivum & in Venerem præcipitem. Dicitur salax à sale, quo qui vehementer delectantur, ad Venerem solent esse proni & proclives. Salis enim ea est vis & efficacia, ut in animali facilè excitet lascivum pruritus. Apparet hoc in ele-

B 3